

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2022-2023
À rendre avant le lundi 23 janvier (casier au DSA)

Version latine n°9 : un mauvais consul

Deux ans après les faits, Cicéron brosse un portrait peu avantageux des consuls Gabinius et Pison qui, en 58 av. J.-C., l'ont condamné à l'exil sous la pression de son ennemi juré, le tribun de la plèbe Clodius. Il aurait fallu se méfier notamment de Pison, qui sous ses dehors d'aristocrate éclairé, cachait un personnage dangereusement dissolu.

Videbamus genus uitae, desidiam, inertiam ; inclusas eius libidines qui paulo propius accesserant intuebantur ; denique etiam sermo nobis ansas dabat quibus reconditos eius sensus tenere possemus. Laudabat homo doctus philosophos nescio quos, neque eorum tamen nomina poterat dicere, sed tamen eos laudabat maxime qui dicuntur praeter ceteros esse auctores et laudatores uoluptatis ; quous et quo tempore et quo modo non quaerebat, uerbum ipsum omnibus animi et corporis partibus deuorarat, eosdemque praeclare dicere aiebat sapientis omnia sua causa facere, rem publicam capessere hominem bene sanum non oportere, nihil esse praestabilius otiosa uita, plena et conferta uoluptatibus ; eos autem qui dicerent dignitati esse seruiendum, rei publicae consulendum, officii rationem in omni uita, non commodi esse ducendam, adeunda pro patria pericula, uulnera excipienda, mortem oppetendam, uaticinari atque insanire dicebat. Ex his adsiduis eius cotidianisque sermonibus, et quod uidebam quibuscum hominibus in interiore parte aedium uiueret, [...] statuebam sic, boni nihil ab illis nugis exspectandum, mali quidem certe nihil pertimescendum. Sed ita est, iudices, ut, si gladium paruo puero aut si imbecillo seni aut debili dederis, ipse impetu suo nemini noceat, sin ad nudum uel fortissimi uiri corpus accesserit, possit acie ipsa et ferri uiribus uulnerare, ita cum hominibus eneruatis atque exsanguibus consulatus tamquam gladius esset datus, qui per se pungere neminem umquam potuissent, ii summi imperii nomine armati tum rem publicam contrucidarunt.

Cicéron